



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

XX. Quid Egerit Famis tempore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

tri vsque ad mortem obediuit, tibi obedire paratus sum. Cui ille, *Etego*, inquit, in nomine ipsius tibi iubeo, pater sanctissime, sub honore accepti regiminis vsque ad diem vocationis tuæ permanere, & honorem & vtilitatem Ecclesie, ad consolationem egenorum & pauperum, in subleuatione viduarum & orphanorum facere, sicut facis, ad consumanda cœpta tua in operibus tuis bonis; &, vt breuius dicam, facere quod facis, operari quod operaris pro æterna vita & centuplo. Quis enim monachorum tantæ perfectionis est, vt eius merita vel paupertatem tuis diuitijs adæquemus? Igitur post hæc tempora Episcopatus Babergensis totus in eleemosynas, totus in hospitalitates pauperum & peregrinorum versus est. Quidquid frumentorum aut victualium, quidquid auri vel argenti vsquã vel vnquam inueniri potuit, per egentium manus in thesauros cœli transmissum est.

QVID EGERT FAMIS

tempore.

XX.

O tempore orientalis FRANCIA sterilitate annorum magna panis inopia laborabat. Ipsi namque opulentiores fame & necessitate squalebant; Inopes autem & mendici passim per plateas & agros mortui iacebant, ita vt præ multitudine in cœmeterijs humari non possent. Sed vir DEI misericordia plenus, memor TOBIÆ, modo per se, modo per alios sepeliendo officium compleuit: Vbi autem cadaverum multitudo sepulturam ordinatam fieri non sinebat, ingentes fossas præparauit, & centenos & milles

nos

nos simul quandoque terræ mandabat, precio condu-
cens homines, qui talibus officijs, iugiter inseruirent.
Ipsæ autem per se omnia lustrabat, vicos, plateas, ac do-
mos pupillorum, vespere, mane & meridie, nec non
etiam nocturno tempore visitando aegrotos, reficien-
do famelicos, omnique ingenio benè operandi vias in-
quirebat.

Accidit ergo die quadam æstu meridiano, quando in
vmbaculis & refrigerarijs suis soporantur homines, *Epi-*
scopus accito cubiculario, more suo, ad hospitale pau-
perum pergebat. Dum autem iret, fœtor inhumati cor-
poris non procul à via desub vicis nares eius tetigit.
Substitit ergo & cubiculario suo digito locum demon-
strans, Sentio, ait, tanquam illic corpus humanum ia-
ceat. Pergente puero sequitur *Episcopus*, diligenter
quærent, ac tandem inter herbas & siluam stantis vr-
ticæ proiectum ad sepem cadauer inueniunt mulieris,
lacero vultu, & ab auibus comesto.

Episcopus autem, conspecta miseria, ferit pectus,
sortem deslet humanam, flagellum diuini confitetur
iudicij. Postremo seipsum culpabilem, se reum addicit,
qui eadē die qua hæc fame periisset, multis panibus abun-
daret.

Dehinc dicta breuiter oratione pro anima iacen-
tis, manum mittit ad corpus, cubicularium hortatur le-
uare secum. At ille, Noli, ait, Domine, noli sacras ma-
nus tuas inquinare. Curram & vocabo alios, ac sepeliem
eam. Cui *Episcopus*, Absit, inquit, vt sororem meam si-
liam Adæ, immo filiam Ecclesie tangere despiciam. Por-
tabo mortuam, quam viuā pauisse debueram. Sed tu rogo
iuua me; certus q̄ à Deo & à me quoq; mercedē accipies.

Z z z

Ille

Ille autem, & si horrore, & fœtore pariter propelli potuisset, tamen dum luctantem & laborantem, ipsiq; horrore humerum iam aptantem videt, vicit semetipsum, & clausis naribus, auersoq; vultu dorsum inuitè subiecit sarcinæ, & cum Episcopo cõmunicato labore ad cœmeteriũ cadauer fœtidum deportant cantante ac stente sacerdote, Heu me domine. Videns ergo, quia tempus eum non monet, omnes apothecas suas aperuit, panes præparat, alit egentes, & ecce quasi ad vniuersales ordines nundinarum de tota provincia famelicorum turbæ concurrunt, de monasteriis virorum ac fœminarum præpositi ac dispensatores, omnesq; quos annorum egestas premebat, ad promptuaria Episcopi currebant, sperata subsidia sine mora inuenientes. Cumq; messis appropinquaret, & maturæ segetes vbique locorum falcem postularent, multa millia falcium pauperibus, quos toto anno aluerat, præparata distribui fecit, atq; refectionis omnibus, in festiuitate sancti IACOBI: *Ecce, inquit pater optimus, filioli mei; terra coram vobis est, finita est dierũ malitia. Et accipiens singulas falces singulos addidit denarios, vnicuiq; denarium & falcem, instrumentum operis & viaticum, sicq; valefecit eis, & bonitate & gaudio eos dimisit. Iis modis id officium ei fuit omnibus annis inopia ac sterilitatis. His aliisq; operibus misericordiæ, maximam sibi fiduciam apud Deum altissimum conquirebat, & temporalibus expensis in cœlis sibi thesaurifans, disperfit de dit pauperibus, vt iustitia eius maneat in sæculum sæculi.*

Psalm. 112.

P R Æ F A T I O L I B R I
sequentis.



AM tempus est, vt in memoriam æternam beati Ottonis Pontificis peregrinationem, & laborem eius stilo fideli prosequamur, qualiter